



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Corpus Juris Canonici**

**Gregor <XIII., Papst>**

**M. DC. LXI. Coloniae Munatianaee, 1661**

Pio Pont. Max. Joan. Pavlvv Lancelottvs Jureconsultus Perusinus, S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62953](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62953)



PIO PONT. MAX. JOAN.  
PAVLVS LANCELOTTVS  
JURECONSULTVS PERUSINVS, S.

**P**ontificii Juris Institutiones proximis annis superiorum Pontificum jussu & nos conscripsimus, & summi viri castigarunt, quae quidem optandum sanerat, ut iis in lucem prodirent auctoribus, quorum mandato & scripta & recognita fuissent, vel ea saltem ratione quod auctores ipsi munera nobis gratiora ac pretiosiora facere consueverint, & saepe non tam quid, quam à quibus accipiant, homines soleant perpendere.

Sed quando id vel ratio temporum, vel alia quaecumque causa fieri non sinit, illud certe nulla ratione committi debet, ut juris scilicet Pontificii Institutiones sub alterius, quam ipsius Pontificis nomine appareant, a quo Pontificia omnia jura emanant: velut enim ab Oceano deducta flumina in ipsum tandem refluunt, ita hoc, quicquid est operis, quod totum de Romanorum Pontificum Constitutionibus derivatum est, ad ipsum Romanum Pontificem, quasi ad fontem proprium, redibit. Ad te autem eo justius, quod magnis aliis animi dotibus, quibus ad Pontificatum tibi aditum parasti, exactissimam adjunxisti Juris hujus cognitionem. Vnde perbelle nunc accidit, ut quae facultas optimum te meliorem reddit, & ad moderandam difficultissimis temporibus Christianam Rempubl. instructiorem, eam nunc tu contra, cum Canonum conditor evaseris, beneficium reponens meliorem sis rediturus: cuius rei non dubia jam apparent indicia, cum ad restituendos antiquos Christianorum mores, atque haereses extirpandas, sanctissimas quotidie Constitutiones edere non desistas, quae dubio procul Christiano gregi non minus futurae sunt salubres iis ipsis quae juris Pontificii, quod nunc tenemus, libros implent, ad illas autem Institutiones haec nostra gradum fortè rudioribus facere poterunt. Accipies igitur eas placido ac benigno animo: nam si ita contingere senserimus, ad alia promptiores reddemur, & alacriores. Deus Opt. Max. te nobis diu incolumen, felicemq. seruet.